



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De 2. Beatitudine. Beati mites.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

num cœlestium: & participatio eiusdem regni cum filio Dei in altera.

En quanto fœnore Christus modicum id refundit, quod amore eius quis relinquit, eleuans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, & collocans cum principibus populi sui. Quo dolore hoc videbunt olim viri diuitiarum, quibus idem Christus comminatur. *Va vobis diuitibus, qui nunc habetis consolationem vestram! Gracitudo zelus excellendi in paupertate, & humilitate.*

V. De 2. Beatitudine. *Beati mites.*

EXpende, qualis mansuetudo pro secundo scalæ cœlestis gradu à Christo assignetur, talis nempe, qua quis 1. Omnibus etiã asperè & iniuriôsè sibi obluantibus suauem placidum, & affabilem se vultu, alloquio, moribus, & affectu cordis exhibet. 2. Qua calumniantibus & opprimentibus se cedit, dans locum iræ, & refrenans cupiditatem vindictæ, & si percussus fuerit in vna maxilla, paratus est præbere & alteram. 3. Qua malum pro malo non reddens, sed in bono malum vincens, vindictam, quam

quantumuis iustam, pro illata iniuria, nullam flagitat, sed eandem operibus charitatis insuper compensat, idque purè propter Deum, feruenter, & constanter, tam quoad affectum cordis internum, quam opus externum.

Quàm rara hæc virtus & contempta in terra, quam mundus non agnoscit: at quàm cara & pretiosa in cælo, vnde eam increata Sapiëntia detulit! ò quale ad cælum compendium crebrum eius exercitium! Feruor hos actus mansuetudinis perfectè frequentandi.

M. Quàm perfectè Christus hos prædictos actus frequentarit, nobisque exemplo suo inculcarit, tum tota vita, tum potissimum tempore prædicationis, inter tot calumnias, obtreptiones & persecutiones; & tempore passionis, inter tot iniurias, fannas, cruciatus; qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste. Quam perfectè impleuit id, quod prædixerat Isaias: Non erit tristis, neque turbulentus, non clamabit, neque audietur vox eius foris, calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet! Quam meritò

1. Pet. 2.

Isai. 42.

ergo.

ergo audiendus nobis in clamans: *Dis-
cite à me, quia mitis sum & humilis cor-
de?* Zelus Christum æmulandi.

III. Quale præmium mitibus pro-
missum sit, videlicet secura & stabilis
possessio terræ viuentium, seu æterna
& immutabilis beatitudinis in patria,
& eiusdem prælibatio, quoad miram
animæ omniumque affectum tran-
quillitatem, in via: quale è contra ma-
neat supplicium immites, in hac vita,
perpetua mentis inquietudo, & mise-
rabilis suarum passionum seruitus: in
altera, æterna rabies & seipso dilani-
antium eiulatus. Feruor in mansue-
tudine proficiendi, & defectus ei op-
positos cauendi.

De Natura, pro-	}	6. p. medit.	}	14.
prietatib. & in-				
citamentis gau-				
dij spiritualis.				
De Actibus, &	}		}	13.
medijs gaudij				
spiritualis.				

Domi-